



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 59. Cæsar a Gallo incassum ad concordiam sollicitatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)



la mora numerare tenebantur; nihilo-  
minus ambo hi Principes oleum & ope-  
ram perdiderunt; Jam enim Maximilia-  
nus Sfortia prior Helvetios sibi devove-  
rat; is enim illis quadraginta aureorum  
millia quotannis per viginti quinque o-  
mnino annos solvere, mox vero centum  
quingenta millia pendere spondebat,  
quamprimum illi ex munitioribus Duca-  
tus locis militem suum educturi essent.

Sæcul. XVI.

A. C. 1513.

## §. LIX.

*Cæsar a Gallo incassum ad concordiam  
sollicitatus.*

Ergo Cæsaris quoque mentem, sensum-  
que explorare oportebat, cum vero  
nuperrime a Gallorum foedere defecis-  
set, recta eum convenire Rex minime  
audebat; quapropter exploratæ fidei  
virum, nobilem Sanseverinatis Cardina-  
lis Cubicularium ad Episcopum Gurcen-  
sem allegabat. Hic vero Vicentiam a  
Venetis necdum restitutam indignatus,  
hunc Nobilem quidem excepit, quatuor  
tamen condiciones eidem præscripsit. I.  
Gallus sua consilia, viresque Cæsari jun-  
gat, ut ambo hi Principes urbes sibi ex  
Cameracensis foederis legibus debitas  
recuperare possent, adjecta tamen hac  
clausula, ut illi parti, quæ Cæsari debe-  
tur, Cremonensis ditio unacum urbibus

G g 5

Abduæ



Secul. XVI. A.C. 1513. Abduæ flumini impositis adjiceretur. II. Carolus Archidux Renatam de Francia secundo genitam Ludovici XII. filiam sibi connubio jungat, eidemque Mediolanensis Ducatus, quamprimum recuperabitur, dotis nomine tradatur. III. Si Ludovico Regi nulla proles mascula nascatur, eadem Renata in Regis Christianissimi jura, quæ in Neapolis Regnum habet, succedat. IV. Denique Sponsa mox ad Cæsaris aulam deducatur. Ludovicus, postquam hic Legatus responsum retulerat, quantocius Senatores suos convocavit, qui tamen in diversas abire sententias, atque inter eos Stephanus Poncherus Senonensis Archiepiscopus exposuit, quod Cæsar non ita pridem Gallorum fœdera sprevisset, proin exiguum ab eo præsidium sperandum, ac nequidem de nova armorum societate cum illo agendum foret. Prævaluit hæc Archiepiscopi sententia, potissimum eo nomine, quod Regina Renatam Filiam suam, saltem nisi per ætatem Viro maturatione esset, ad Cæsarem abduci, constanter negaret.

## §. LX.

*De fœdere cum Venetis actum.*

Guic. l. II. Soli supererant Veneti, qui primi ad faciendam cum Gallis concordiam ultro